

No. 771. 1404. 24. Jan., 23. Jan. und 13. Mai.

*B. Thimo, der vormalige B. Johann III. und der Weihbischof Nicolaus ertheilen Denen, welche den an zwei Altären der Domkirche an gewissen Tagen zu haltenden Messen bussfertig beiwohnen, für jeden Tag des Besuchs Jeder 40 Tage Ablass.*

Nos Thimo dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis omnibus Christi fidelibus etc. Et si sanctorum quorumlibet gloriam ob eius laudem, qui eos glorificavit, attollere teneamur summo opere et iubemur, ad illorum tamen cultum et reverentiam meditatione praecipua intendere et Christi fidelium devotionem ad huiusmodi nos congruit etiam animare, quorum patrociniis adjuvari et beneficiis refici cottidie conspiciamus et gloriamur. Inter quos mater dei et hominis beatissima virgo Maria ampliori veneratione glorificanda et singularibus laudum praeconiis est non inmerito magnificanda, de qua sanctus sanctorum unigenitus dei filius pro salute humani generis incarnari dignatus est et nasci; totum enim ad gloriam laudis eius pertinere dinoscitur, quidquid digne ipsius genitrici a fidelibus officii impensum fuerit servitutis. Cum itaque ut accepimus in altari corporis Christi, sanctae etiam et individuae trinitatis ac beatae Mariae virginis gloriosae atque beatae Mariae Magdalenae in medio chori ecclesiae Misnensis atque in altari sanctae crucis in testudine eiusdem ecclesiae per illustrem principem et dominum, dominum Wilhelmum marchionem Misnensem erectis fundatis et condignis redditibus dotatis, in praefato altari in medio chori situato diebus dominicis de sancta trinitate, feriis quintis de corpore Christi et sabbatinis diebus de beata virgine, et super testudine in altari sanctae crucis feriis sextis de sancta cruce, per anni circulum missae in perpetuum sollempniter cum nota debeant decantari, nos cupientes Christi fideles quoslibet tanto sollicitius ad huiusmodi donis spiritualibus et peccatorum remissionibus incitare, quanto ex eo gratiae potioris ubertate conspexerint se refectos, ut eiusdem corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi sacramenti dominici nostrae peregrinationis viatici, et eiusdem gloriosae virginis Mariae, matris misericordiae, laus ab ore hominum non deficiat et in laudem ipsorum per crementa temporum cultus et frequentia missarum huiusmodi et fidelium devotio proficiat fructuosius et increseat, omnibus Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus contritis et confessis, qui dictis missis interfuerint humiliter et devote seu easdem cantare iuverint, aut offertoria sua fecerint seu quovis modo manus porrexerint adiutrices, ut dictae missae conserventur, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius suffragiis confisi, ipsis de iniunctis eis penitentiis de quolibet die, quando et quociens praemissa fecerint aut aliquod praemissorum, quadraginta dies indulgentiarum misericorditer in domino elargimur, consentientes quantum in nobis est, ut quilibet episcopus catholicus de suo consuetas et condignas indulgentias praesentibus nostris indulgentiis consimiles et concordas ad praedictas missas et pro earum conservatione addere possit. In cuius evidentiam clariorem sigillum maius nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum in castro nostro Stolpen anno domini millesimo quadringentesimo quarto die vicesima quarta mensis Januarii.